

tamen *armamentario Chymico pag. 29.* videtur *Bezoar portabile*, per solutionem & extractionem Lapidis Bezoar, & p. 34. MYNSITHI habet *Magisterium Lap. Bezoar*; qui tamen habet Lapidem humanum, minerale Bezoardicum, & diaphoreticum, vel C.C. securus est de Lapide Bezoar. Quæ dixi de Lapide Bez. orientali, de occidentali quoque sunt intelligenda: Nam de similibus idem est iudicium. Observatum tamen est, quod *Lapis Bezoar occidentalis in dupla dosi vix præstet quàm orientalis* in simplici; ut ergo tales præstet effectus lapis Bez. occidentalis, quales præstat Bezoar orientalis, in dupla dosi est præscribendus. *Reperitur etiam*, uti antea dixi, *in cervis nostratibus Lapis non minoris efficaciam quàm lapis Bezoar*, aut si quædam est differentia, saltem est in herbis vel ratione plantarum, quibus vescuntur, aliàs in virtute præcipitandi & sudorem movendi idem est cum lapide Bezoar. Nam vis hæc consistit in acido alcali s. falso s. in \ominus vol. falso & alcali.

CAPREOLUS ET CAPREOLA SEU CAPREA. Der Rehebock.

Cujus forma satis est cognita: de hoc non meminime aliquid legisse præscriptum in specie, virtutes, quas habet vel FEL vel STERCUS seu COAGULUM, quoniam convenient cum stercorebus &c. altiorum animalium, non opus est, ut de hoc multa dicam.

CASTOR, der Biber.

Animal uti notum *Amphibion*, quod partim in ∇ is degit, partim in terra vivit. Subministrat 1. AXLINGIAM, quæ est egregia in affectibus Cerebri & Uteri. In affectibus cerebri, paralyti, in tremore artuum & similibus externè inuncta. Item solet inungi abdomini in suffocatione Uterina curanda, uti etiam in torminibus post partum. 2. Sequitur CASTOREUM. Vulgaris de hoc error est, quod testiculi Castoris sint Castoreum, uti etiam habet AVCTOR, hoc tamen falsum est. Peculiare tamen est genus cujusdam succi, qui colligitur in Castore in certis Folliculis ad inguina sitis. Castor nempe prope testiculos habet folliculos hirsutos, cute insculptos, in quibus colligitur Castoreum. Siti sunt folliculi inter testiculos & inter membrum vel anum statim sub cute, ex quibus eodem modo colligitur ac Zibethum, de quo postmodum. Et quidem abundantius colligitur in maribus, parcius in fœmellis. Nam uti dixi, propriè inguina Castor habet duos tumores magnitudine ovi anserini. Uterque tumor membranâ propriâ est conclusus, & inter hos folliculos eminet pudendum, quod tamen nullo meatu ad hos tumores pertingit vel pervenit, adeò ut nihil commercii habeat cum membro genitali vel cum testiculis. Hi tumores teguntur membrana, in cu-

jus medio fissura est vel cavitas, ex qua liquor, pinguedo vel oleosa vel serosa colligitur, & transudat vel arte vel per se, qui inspissatus dat Castoreum: Plura qui cupit de Castorei generatione videre potest *ALDROVANDVM* uti & *IONSTONIVM* in *historia animalium*, uti etiam *Cent. I. Epist. BARTHOL.* pag. 9. & pag. 27. Unde facilè patet, quid habendum de *admirationibus*, quas habet AVCTOR, ut neque ipsum sit verum, in quo testiculi sive etiam renes reperiantur. Proinde & gravis in hoc est AVCTORIS error: quando dicit, castoreum castoris esse testiculos. Hoc castoreum odorem habet gravem ac fœtidum, qui loquitur, quod imprægnatum sit \ominus vol. oleoso sed admodum acri, quod acidum effervescent in primis viis, præprimis ex pancreate ebulliens, præcipitat, compescit & edulcorat. Propter quas virtutes flatus intestinorum potenter discutit, & hinc etiam Colicæ & suffocationi uterinae potenter medetur. Imò quodcunque acidum exorbitans in corpore humano absorbet & præcipitat. Notum præterea est, quod Castoreum valdè commendetur in morbis uteri, in specie, ubi opus expulsionem per uterum, menses, fœtumque mortuum promovet, pellit secundinas, retenta lochia expurgat Castoreum, estque expertissimum; de Castoreo dixi sub asa fœtida, quod non omnes mulieres possint ferre fœtida, quod & de Castoreo tenendum, aliàs præstat *Essentia Castorei*, item, *Extractum Castorei*; præstat etiam ∇ . *hirundinum cum Castoreo*, ∇ . *vita mulierum cum Castoreo*. Hæc etiam medentur colicæ passioni ut & uterinae suffocationi mulierum, uti dixi: ∇ . *hirundinum cum Castoreo* conducit, si Epilepsia sit conjuncta cum suffocatione uterina, vel in Epilepsia per consensum uteri. Non tamen in omnibus hoc adhibendum, cum uti superius dixi sub asa fœtida, non omnes possunt ferre graveolentia: in plurimis tamen ulterius in affectibus nervorum & capitis multi usus est castoreum, imprimis in affectibus somnolentis & saporosis, notum enim est, quod corrigat virulentiam Opii, & corrigat somnolentiam ab opio inductam solum Castoreum assumptum. Castoreum etiam in Lethargo, Comate, Cataplexia, & similibus affectibus est expertum remedium, sive solum sive cum appropriatis purgantibus assumatur: Sic *TRALLIANVS* Medicus in cura Lethargi commendat Castoreum junctum cum scammonio propurgante: id quod moderni imitantur. Dum quidam senex 55. annorum, qui post frigus nimium in itinere perpeffum in lethargum incidit periculosissimum, in quo multa adhibita sunt frustra, postmodum Medicus præscripsit etiam pro purgante medicamentum *FROLLIANI* h. m. \mathcal{R} . *Castorei* \mathcal{ij} . *scammonii* \mathcal{ij} . quæ miscuit cum oxymelite pro duabus dosibus, & sic optime tandem curatus fuit. Videri potest *BORELLVS* *Cent. I. obs. 52.* ubi quædam de Castoreo ejusque facultatibus contra lethargum habet experimenta. Hinc etiam Castoreum in \mathcal{R} . solutum, & in spongia naribus applicatum lethargicos excitat, uti etiam revocillat, quæ est vaporibus narcoticis, ex carbonibus, cellis cerevisiariis, viniariis vel similibus somnolenti sunt: hos ipsos Castoreum cum \mathcal{R} . naribus applicatum resuscitat,